Fragmentarium

ta ordinata et per nos precepta emendandi corrigendi refor
mandi et immutandi prout iuxta maliciam atque qualitatem
temporis et ſubditorum provincie Colonien videbitur expedire

Ceterum expreſſe committimus metropolitano et ordina
rijs provincie et dioceſium predictarum Ac unicuique or
dinario beneficium abſolucionis a penis et cenſuris quibuſcumque
tam in preinſertis huius ſancte ſynodi quam alijs provincialibus et
ſynodalibus ſtatutis contentis et comprehenſis exceptis apli
ce ſedi de iure reſervatis —

Item volumus et mandamus quod per ordinarios locorum infra
menſem omnia ſupradicta per dioceſes ſingulorum publicentur Sta
tuimus inſuper et declaramus quod omnia predicta Capitula cum ſu
is penis ligent a tempore publicacionis comprovincialium infra
duos menſes immediate ſequentes Atque per eos ad quos ſpec
tat poſt publicacionem in delinquentes execucioni demandari
Item in robur omnium determinacionum ſuper hijs oportunas litteras quas
tam nostro quam Reverendiſſimi domini Archiepiſcopi Sigillis volumus
communiri — Aliarum vero litterarum de quibus ſupra
fit mencio tenores de verbo ad verbum ſequuntur et ſunt tales
videlicet —

Nicolaus miſeracione divina tituli ſancti petri ad vi
cula ſacroſancte Romane eccleſie preſbiter Cardinalis per
Alamaniam et nonnulla alia regna ac provincias
apoſtolice ſedis legatus Reverendiſſimo ac Reverendis in christo
patribus dominis Theoderico Archiepiſcopo Colonien ac univerſis epiſcopis
per provinciam Colonien conſtitutis Salutem in domino ſempiter
nam Cum ſanctiſſimus dominus noster dominus Nicolaus divina provi
dencia papa quintus Curam habens ut univerſalis eccleſia ſibi
commiſſa in ſuis membris per orbem diffuſis ſalubriter gu
bernetur Nos ad hanc Colonien quemadmodum et ad nonnul
las alamannice nacionis provincias pro communi animarum ſalu
te procuranda tranſmiſit plurimas ad id oportunas no
bis tribuens facultates Nos conſiderantes ad honorem dei
animarum ipsarum ſalutem ac populi chriſtiani graciam conſolaci

License: public_domain – Antwerpen, Ruusbroecgenootschap, Lat. 4, fol. 3v – Nicolaus Cusanus, <i>Reformatio generalis</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-xdqm/6443/55216)